

necnon illarum capellas in eisdem Ecclesiis Regularium existentes; in his tamen, quae confraternitatum administrationem respiciunt, et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu capellae, onera missarum atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem Confratrum relationem habent, ut in lib. 4. decretorum pag. 115.

10) Capellarum publicor. carcerum.

Montis Alti.

Carcer publicus Civitatis Montis Alti situs est sub apostolico Palatio, quod habitat Praeses Civitatis. In eodem carcere est capella, quam custodit et necessariis omnibus instruit sodalium sanctissimi Sacramenti, quod proximum habet oratorium divo Nicolao dedicatum. Capellam carceris ab anno 1595 visitarunt semper Episcopi: at, qui nunc civitati praeest, reputans eandem capellam ab episcopali visitatione exemplam esse, quod sita sit intra ambitum Palatii apostolici, obstitit anno 1753, ne illam Episcopus visitaret. Re ad hoc sacrum Tribunal delata a Promotore Fiscali auditoque, ut fieri solet, Episcopo, causa nunc proponitur et disputat Promotor juris dispositionem favere Episcopo, intra cuius dioeceseos fines sita est capella idque etsi de possessione episcopali non constaret, cap.: *Cum persona §. fn. de privileg. in 6.* Quid igitur, cum de possessione visitandi per fere duplicem centenariam constat? Teneri Praesidem vehementissimas exemptionis probationes edere, quae vincant juris dispositionem et vetustissimam possessionem, in qua sunt Episcopi: exemptionem capellae derivari non

posse a personis, a quibus instruitur et custoditur, neque a loco sui situs, non a personis, quae, licet sint laicae quales sunt sodales sanctissimi Sacramenti, Tridentina lege visitationibus Episcoporum subjiuntur: non a loco sui situs, nam, licet sit sub Palatio apostolico, non tamen Summi Pontifices expresse sibi reservarunt jurisdictionem in eo loco excludendo illam Episcoporum, sed generalem tantum ei tribuerunt exemptionem, quae non velat Episcopis, ne visitationem expleant, ut ex textu in cap.: *ex parte de privileg. in 6.* tradunt *Gonzalez.* ibidem lit. B., *Fagnan.* ad eundem tit. decretal. num. 8. et 9., *Pignatell.* consult. 114. n. 12. tom. 1., *Ferrar.* biblioth. canon. verbo: *Capella* num. 39. Atque hanc ipsissimam quaestionem inter Praesidem Fulgini et Episcopum hac ratione ab hoc sacro Tribunali secundum Episcopum definitam fuisse die 15. Decembris 1663 refert *Crispin.* in visitat. pastoral. par. 2. §. 37 sub n. 3. Haec atque alia Promotor. A Praeside nihil habuimus. Dubium est:

An Capella publicorum carcerum Civitatis Montis Alti posita sub Palatio apostolico Praesidis sit subjecta jurisdictioni et visitationi Episcopi ejusdem Civitatis in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 17. Sept. et 19. Nov. 1757; 28. Jan. 1758.

11) Capituli Canonicor. Cath.

a) Per Episcopum vel Episcopum impedito per Delegatum faciendae.

Vd.: *Visitatio Episc.* (Episcopo impedito etc.) *Visitatio Vicarii capit. et gen.* (Jus, decret. de die 13. Sept. 1721); *Visitat. Eccles. Colleg.* (decr. *Calagurit.*); *Visitat. Epis.* (Subdeleg.)

Episcopo concurrente impedimento legitimo licere per Delegatum visi-

tare propriam Cathedrali et totum corpus Capituli, nedum in Temporalibus, verum etiam in Spiritualibus.

Standum esse circa impedimentum soli Episcopi assertioni.

Impedimentum esse continuum toto tempore a s. Concilio pro visitatione faciendae praescripto durante non oportere sed remittendum esse Episcopi conscientiae.

S. C. C. die 29. Jan. 1701 *Portugallen.*

Episcopus Cassanensis per Delegatum visitans integram potest exigere procurationem.

Die 17. Maii et 14. Junii 1749.

Si Episcopus visitare velit totum capitulum, debet accedere ad locum ordinarium capituli, in quo solent capitulares congregari et eorum actus expediri consueverunt, si id tamen commode fieri potest. Sin minus ad locum congruum et communem. Sed non tenetur accedere ad locum capituli, quoties persequi velit visitationem alicujus personae de capitulo; et si capitulum occasione visitationis convocare ipse voluerit, non potest extra locum solitum congregare: S. Congr. Concil. apud *Barbosam* in Summa apostolic. decis. collectan. 717. num. 9.

Visitatio personarum capitularium, quae juxta canonicas sanctiones, ut in decr. c. 4. sess. 6. de reform. dicitur faciendae, intelligitur juxta dispositionem juris communis citra punitionem et privationem: S. Congr. Conc., de qua *Rota* decis. 328. part. 2. diversor. apud *Barbosam* in Summa verbo: *Visitatio* num. 9. Unde in visitatione generali Episcopus solus sine conjudicibus procedere potest contra canonicos eisque poenam imponere extraordinariam, quae magis morum emendationem quam correctionem respiciat.

S. Congr. in Oriolen. 27. Martii 1632 in resp. ad 4. dub. apud *Barbosam* loc. cit. num. 11.

In Visit. Cap. Can. est inquirendum:

1. An officium divinum, Missae et horae canonicae in Ecclesia et choro statutis horis recitentur et caeterae functiones expleantur?

2. An cum veste talari et habitu canonicali devote, modeste, attente et cum silentio?

3. An punctatores fideliter officium exerceant et juramentum praestiterint?

4. An Capitulum determinata die convocetur, et a quo?

5. An resolutiones capitulares fiant per vota secreta et in libro fideliter registrentur per Capituli Secretarium?

6. An Officiales Capituli singulis annis per vota secreta eligantur et in fine anni suae administrationis rationem reddant et de ratione reddita in libro Capituli legitime appareat?

7. An adsit Archivium scripturarum, in quo inventarium bonorum omnium Capituli custodiatur una cum caeteris scripturis ad usum pertinentibus?

8. An adsint statuta Ecclesiae seu constitutiones Capituli et an sint ab Ordinariis vel a Sede apostolica approbatae?

9. An adsint distributiones quotidianae?

10. An adsint Praebendae theologalis et poenitentialis?

11. An Dignitates et Canonici sint ordine distincti?

12. An adsint Mansionarii et Beneficati vel Capellani servitio chori addicti?

13. An in choro adsint psalteria, antiphonaria et caeteri libri necessarii?

14. An adsit tabella horaria?

15. An celebretur quotidie Missa conventualis pro Benefactoribus?

16. An Canonici inserviant per se ipsos vel per substitutum?

17. An Canonicisint promoti ad Ordines sacros eorum praebendis annexos?

(*Monacell.* t. I. in append. in fine et t. 4. suppl. ad t. 1. post n. 267.)

Ad dub.: An Episcopus Atrebatensis suam cathedralem Ecclesiam ejusque capitulum et personas visitare possit ad praescriptum dicti cap. 4. sess. 6. et extra visitationem capitularium causas criminales, cum adjunctis, aliorum vero, qui nec dignitates obtinent nec sunt de capitulo, per se ipsum cognoscere valeat ex decreto dicti concilii cap. 6. sess. 25., asserta concordia, exemptionis, privilegiis, sententiis, praescriptione vel consuetudine etiam immemorabili contraria non obstantibus et an in praemissis obstet Episcopo juramentum de observandis juribus, consuetudinibus, privilegiis ac libertatibus Ecclesiae suae praestitum die 17. Maii 1623. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit: Episcopum Atrebatensem posse Ecclesiam suam cathedralem ejusque capitulum ac personas visitare et extra visitationem causas criminales capitularium una cum adjunctis; aliorum vero, qui nec dignitates obtinent nec sunt de capitulo, per seipsum cognoscere ac definire, non obstante asserta concordia, privilegiis, exemptionibus, sententiis et praescriptionibus vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, eidemque Episcopo, quominus praedicta exequi possit, minime obstare juramentum ut proponitur praestitum de observandis juribus, consuetudinibus, privilegiis atque libertatibus Ecclesiae suae.

Robertus Card. Ubaldinus.

Die 3. Novembris 1623.

(*Anal. J. P.* 1863 p. 1666.)

b) Per Vicarium capitul. facienda.

Vd.: *Visitatio Archidiaconi.*

c) Modus.

In Visit. Cap. Can. peragenda est inquirendum de:

- 1) Iis, quae ad Collegium communiter spectant?
- 2) Origine.
- 3) Numero Canonicorum.
- 4) Dignitatibus, quot et quae?
- 5) Habitu choral.
- 6) Statutis.
- 7) Distinctione praebendarum.
- 8) Redditibus.
- 9) Distributionibus.
- 10) Servitio.
- 11) Cantu.
- 12) Punctionibus.
- 13) Theologici praebenda.
- 14) Poenitentiaria.
- 15) Doctoratu.
- 16) Officialibus Capituli.
- 17) Conventu Capitulari.
- 18) Sigillo.
- 19) Actis.
- 20) Oneribus.
- 21) Missis solemnibus.
- 22) Horis canonicis.
- 23) Chori disciplina.
- 24) Concionibus.
- 25) Anniversariis.
- 26) Missarum numero.
- 27) Officiis propriis.
- 28) Festis, Archivio.
- 29) Inventariis bonorum mobilium, immobilium.
- 30) Mansionariis seu Capellanis.
- 31) Habitu.
- 32) Mercedibus.
- 33) Consuetudinibus Ecclesiae.
- 34) Processionibus.
- 35) Ritu.
- 36) Magistro caeremoniarum.
- 37) Sacrista.

- 38) Clericis.
- 39) Musicis.
- 40) Organista.
- 41) Aleis.
- 42) Ratione reddituum reddenda.

A singulis exquirendam est ut de aliis Beneficiatis, et praeterea: an minor sit 22 annis vocatus ante Subdiaconomatam, an receperit aliquid pro admissione novi Canonici.

Gavant. Merat. t. V. pag. 68. (Ed. Venet. 1823.)

Vd.: p. 875.

12) Clausurae Monialium.

Vd.: *Visit. Monial. claustror.*

13) Clericorum.

Vd.: *Visit.* (Presbyt.; Personae; Benefic.)

In visitatione Clericorum peragenda est inquirendum:

1. An habeat penes se Testamentum vetus et novum lat. vulgatae edit., Concilium Trid., Catechism., Rituale et Summam aliquam theolog. mor. et librum aliquem spiritualem?

2. An semper incedat cum veste clericali, rasura et tonsura decenti, missam audiat quotidie, ecclesiae, cui est adscriptus, saltem diebus festis inserviat, doctrinam christ. doceat, communionem frequent. et scholam. (*Conc. Trid.* S. 23. c. 11. 13 et 14. De Ref.)

3. An aleis aliisque ludis incumbat aut venationi, spectaculis et choreis intersit et in profanis comoediis fiat actor et an cum mulieribus cohabitet et quae sint?

4. An implicet se negotiis saecularibus mereaturam exercendo, praedia aut vectigalia laicorum conducendo aut Laicis pro factore seu magistro domus inserviando?

5. An habeat superpelliceum et biretum mundum.

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

In Visit. Cleric. peragenda est inquirendum de:

- 1) Sedibus.
- 2) Legili.
- 3) Antiphonaria.
- 4) Breviariis.
- 5) Martyrologio.
- 6) Calendario.
- 7) Pontificali.
- 8) Caeremoniali.
- 9) Directorio chori.
- 10) Libris processionum.

In visitatione cujuscumque Cleri de

- 1) Nomine.
- 2) Cognomine.
- 3) Patria.
- 4) Aetate.
- 5) Patrimonio.
- 6) Servitio Ecclesiae.
- 7) Ordine.
- 8) Habitu.
- 9) Tonsura.
- 10) Barba.
- 11) Annulo.
- 12) Capillis.
- 13) Calligis.
- 14) Collariis.
- 15) Negotiatione.
- 16) Venatione.
- 17) Armis.
- 18) Spectaculis.
- 19) Larvis.
- 20) Docendo puellas.
- 21) Servitio laicorum.
- 22) Si externus, dimissoriis literis.
- 23) Confessione frequenti.
- 24) Missa seu communione.
- 25) Cantu Gregoriano.
- 26) Musica.
- 27) Studiis literarum.
- 28) Habitatione.
- 29) Officio divino sive parvo Beatae Virginis.

Gavant. Merat. t. V. p. 66 et 69.
(Ed. Venet. 1823.)

14) Coemeterii.

Vd.: *Visit. de Funeribus.*

15) Collegiorum regionum.

(Non licet.)

Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos sunt executores; habent jus visitandi Hospitalia, Collegia quaecumque et Confraternitat. Laicorum, etiam scholas, sive quocumque alio nomine vocant, non tamen, quae sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia.

Ex resol. S. C. C. die 21. Junii 1783.
Eugubina.

16) Commendatarii.

Vd.: *Visitat. Episcopi* (Jus et Oblig. decr. diei 23. Jun. 1725); *Visitatio Eccles. par. et curat. Regul.* (decr. Lycien. die 23. Junii 1725.)

Dicebatur Concilium subjecisse commendatarios Ordinariis in Materia residentiae praesenti Decreto. Idemque cum de incompatibilitate agitur *sess. 7. cap. 4* aut de cura animarum sacramentali, quam ipsimet Commendatarii exercent, *sess. 25. cap. II. de Regul.*, extra istos casus Concilium nihil in specie decrevisse, a quo Commendatarii possint visitari et corrigi; considerandum autem esse, quod ea hodie opinio recepta sit, Commendatarios perpetuos pro veris titularibus haberi et jura de Abbatibus et Prioribus loquentia habere etiam locum in hisce Commendatariis probatur d. c.: *Nemo de elect. in 6. Chassan. in consuet. Burgund. rubr. 9. §. 9., Rebuff. de nominat. quaest. 8. num. 29, et de*

pacific. poss. num. 96 et 43, Gomes. in form. resign. quaest. 4. num. 2. et de idon. quaest. 5. num. 6. Consequens ergo videtur, ut quemadmodum Abbates a suis Superioribus regularibus visitari debent, etiam ipsi Commendatarii visitari possint. Quod si hoc omnino convenire aut decere videtur, rursus advertendum, an nullo expresso jure nullaque clara concessione apostolica ab his visitentur et quamquam se exemptos probarent, posse tamen ab Ordinariis judicari ratione rei, contractus aut delicti, ut sanxit constitutio Innoc. IV. cap. I. de *privileg. in 6.*, quam Concilium innovavit atque etiam ampliavit in causis mercedum et miserabilium personarum, etiamsi certus Judex a sede apostolica in partibus deputatus esset et generaliter quoque in aliis causis, si certus Delegatus non adesset, ut dicitur *sess. 7. cap. 14.* Quoad materiam tamen visitationis visum est plerisque non posse commendatarios nomine commendae visitari neque corrigi nisi a delegatis sedis apostolicae, sed quia aliqui Ordinarii hanc facultatem sibi competere credunt et ob id urgent aliquos commendatarios, Sanctitas Sua jussit, ut audiantur commendatarii, quibusnam rationibus se ab hac visitatione tueantur, ideo eis auditis amplius erit deliberandum.

Item dubitatum fuit: an commendatarii eorum monasteriorum, quae habent conventum a suis Superioribus regularibus visitatum, ab Ordinariis locorum visitari et corrigi possint? Ad hoc autem respondetur, quod licet Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. II. de commendatariis* non meminerit in illa commemoratione personarum, quae ab Ordinariis visitari debent, non obstantibus quibuscumque privilegiis eis concessis, Congregatio censuit, si nullius dioecesis sint, ad Episcopos nullum jus pertinere sed ad Sedem

Apostolicam, si vero in certa Dioecesi sunt, quoad residentiam subjacere Episcopo ordinario loci, *per cap. II. sess. sextae*, et eidem quoad incompatibilia. *Sess. 7. cap. 14.* Et ponderando quod caput 14. loquitur de commendatis, cap. 5. dat Jurisdictionem Episcopis. Quod vero spectat ad visitationem et correctionem, Congregatio censuit eos non posse ratione commendae visitari aut corrigi, nisi a summo Pontifice aut ejus delegato, licet Alciatus, qui adversabatur, diceret: *visitator est Delegatus.* Ratione autem delicti, rei, contractus ad jus commune se remiserunt prout Concilium se remiserit, illudque ampliavit, ut sup. cap. 14. *sess. 7.*, quod est notandum, cum Concilium per d. caput innovaverit cap. 1. de *privil. in 6.*, quod incipit: *Volentes.*

Declar. S. C. C. Interpr. ad verba S. 6. c. II.: *In titulum et commendam etc.* (Ed. Gallemari. 1781. p. 82.)

Triventina.

(Conc. Tr. C. 8. 9. Sess. 22. de ref.)

Invalescit jurisdictionalis controversia inter Episcopum Triventinum et Commendatarium Ecclesiae s. Thomae de Aquila ordinis s. Joannis Hierosolymitani ea propter, quod praelibatus Episcopus jus sibi asserat perlustrandi in sancta Visitatione parochialem Ecclesiam s. Nicolai in castro Sangri, assertam jam d. commendae granciam seu membrum, nedum in iis, quae animarum curam Sacramentorumque accuratam administrationem concernunt verum quidem in spectantibus ad oeconomicam honorum administrationem. Siquidem eques commendatarius privilegia et exemptiones exagerat, quibus Hierosolymitana religio praemunita asseritur, ne Ordinarii ejus Ecclesias et membra ineant nisi in his, quae ad curam animarum spectant; at contra

insurgit Episcopus contendens, in possessione exigendi rationes hujusmodi administrationis longo temporis decursu confirmata perturbari modo non posse tum quia nullibi constare asserit, quod praememorata parochialis Ecclesia religioni Hierosolymitanae subsit tum quoque cum Episcopi ex jure saltem delegato cogere possint administros quorumcunque locorum piorum super recta reddituum dispensatione, ac tandem procul dubio, ex quo redditus, quorum ratio exigere contendit, nequaquam pertinent ad mensam jam d. commendae, quinimmo a saecularibus administrantur, ut satis liquere asserit ex documentis, quae in Summario recensentur. Hinc ex utrimque uberius adducendis EE. VV. erit, qua pollet sapientia, decernere: *An Episcopo Triventino in actu Visitationis vel extra liceat revidere rationes et respective exigere redditionem computorum a Procuratoribus seu Administratoribus oeconomicis reddituum Ecclesiae parochialis s. Nicolai Castri de Sangro in casu etc.?*

S. C. C. resp.: Affirmative exceptis bonis spectantibus ad commendam.

Die 9. Sept. 1713.

Asculana.

(Conc. Tr. C. 8. S. 7. de ref.)

Contendit Reverendissimus Episcopus Asculanus se visitare posse Ecclesiam sancti Joannis ad Templum, quae est commenda sacrae Religionis Hierosolymitanae, non solum quia sui in Episcopatu praedecessores eam visitarunt, sed etiam quia Concilium Tridentinum *sess. 7. de Reform. cap. 8.* decernit, quod locorum ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate ordinaria singulis annis visitare teneantur, et *sess. 21. cap. 8. de Reform.* statuit quod commendata Monasteria, Abbatiae, Prio-

ratus et Praepositurae nuncupatae, in quibus non viget regularis observantia, necnon Beneficia tam curata quam non curata, saecularia et regularia qualitercunque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, tamquam apostolicae sedis delegatis annis singulis visitentur.

Absque eo, quod suffragari valeant Equiti commendatario privilegia religionis exemptiva a jurisdictione ordinariorum innovata post Concilium Tridentinum a s. Pio V. *Constitut. 67. et Constit. 136. Bull. tomo 2.*, quandoquidem literae hae apostolicae s. Pii V. redactae dicuntur ad terminos s. Concilii Tridentini a Summo Pontifice Gregorio XIII. in sua *const. 67.* citato tom. 2. Bullarii.

Adversus autem fundamenta huc usque deducta facere posse videtur resolutio hujus sacrae Congregationis in Mantuana juris visitandi 17. Jun. 1690. lib. 40. Deoret., in qua dictum fuit: Episcopum non posse visitare Ecclesiam non parochialem spectantem ad commendam s. Joannis Hierosolymitani, etiam si pluries fuisset a praedecessoribus Episcopis visitata.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An et quo jure liceat Episcopo Asculano visitare Ecclesiam s. Joannis ad Templum in casu?

S. C. C. resp.: Negative et amplius.

Die 4. Feb. 1719.

Commendatarii quamvis possint visitare Monasteria sibi commendata in iis, quae pertinent ad curam animarum et administrationem Sacramentorum, ut censuit Sacra Congregat. Episcop. in *Senogallien seu Nullius*, 6. Aug. 1601 et in *una Cisterciensium* 17. Sept. ejusdem anni, non possunt tamen ea visitare quoad disciplinam regularem,

ut respondit eadem sac. Cong. Episc. 2. Aug. 1647. apud *Nicolium* in Flosculis verbo: Visitatio ordinaria sub n. 4, et aperte habetur ex Concilio Trid. sess. 20. de regularibus cap. 20. ac expresse statutum est ab Innoc. X. *Constitut. 62. inc.: Pastoralis*, et ab Alexandro VII. *Constitut. 6. incip.: Exponi*, ubi declaratum est, quod obtinentes Monasteria in Commendam, etiamsi fuerint S. R. C. Cardinales, nullam in Monasteriis sibi commendatis quoad eorum Monachos jurisdictionem exercere possint; ibi §. 2. „Tenore praesentium declaramus, decernimus ac statuimus non licere commendatariis Priores, Sub-Priores aut Officiales claustrales instituere ac destituere, visitare Monachos eosdemque corrigere nec facultates eisdem in literis apostolicis concessas et expressas, prout supra, ad ea, quae Institutum regulare concernunt ac tenore praedictorum privilegiorum et sacri Concilii dispositione monastico regimini relinquuntur, trahi posse ac debere.“

Et similia etiam habentur in *Const. 32.* ejusdem Alexandri VII. *incip.: Sacrosancti*, edita favore Monasteriorum Camaldulensium.

Advertendum est, quod in Gardien. exortis pluribus controversiis circa jurisdictionem, quam Episcopus Gardiensis asserebat sibi competere in Oppido Aquaevivae ad commendam s. Primiani religionis Hierosolymitanae, proposita ei resoluta fuerunt plura dubia, ut sequitur:

I. An Episcopus Gardien. in Visitazione Ecclesiae s. Joannis Oppidi Aquaevivae possit etiam visitare libros parochiales ad curam animarum et Sacramentorum administrationem spectantes, scilicet baptizatorum, confirmatorum et defunctorum?

II. An dictus Episcopus uti Sedis Apostolicae delegatus corrigere possit

parochum aliosque dictae Ecclesiae ministros tam in actu visitationis quam extra?

III. An possit ut supra inquirere contra dictos parochum et presbyterum non tantum in concernentibus curam animarum et Sacramentorum administrationem sed etiam in aliis causis civilibus et criminalibus et in omnibus circa morum correctionem civilibus et mixtis? et quatenus affirmative,

IV. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impediennes tam commendatarium quam Ministros?

V. An possit mandare in actu visitationis, ut calices et decentia paramenta ad decorem administrationis provideantur?

VI. An cognitio satus liberi eorum, qui Matrimonia contrahunt in dicto oppido, et literas eis dare spectet ad Episcopum?

VII. An facere testamentum vulgo dictum (dell' Anime) juxta solitum Dioecesis spectet ad Episcopum?

VIII. An Episcopus tam in actu visitationis quam extra procedere possit contra laicos, commendatarium et ministros dicti Oppidi pro delictis ad curiam ecclesiasticam spectantibus v. g. usuris, concubinatibus, percussio-nibus clericorum, inobservantia dierum festorum, usurpatione jurisdictionis episcopalis etc. et tali casu censuris ecclesiasticis uti?

IX. An tueri immunitatem in dicto Oppido spectet ad dictum Episcopum, etiam adversus commendatarium et ministros, ita ut eos valeat declarare excommunicatos?

X. An sit manutenendus Episcopus in quasi possessione decernendi Monitoria in dicto Oppido pro deperditis?

XI. An spectet ad Episcopum praestare consensum alienationi bonorum

dictae Ecclesiae vel alterius Loci pii juxta terminos cap. *Terrulas 12. q. 2.*

XII. An possit destinare concionatorem in dicto Oppido et cogere communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum Dioecesis?

XIII. An spectet ad Episcopum praestare licentiam concionandi in dicto Oppido?

XIV. An parochus dicti Oppidi sese absentare possit a parochia ultra terminum a sacro Concilio praefixum sine licentia Episcopi?

XV. An d. Parochus et caeteri presbyteri servientes Ecclesiae teneantur accedere ad Synodum dioecesanam Episcopi?

A S. C. die 5. Sept. 1693. responsum fuit: *Manutenendum esse Episcopum in omnibus.*

Postmodum vero cum ad instantiam commendatarii, qui novae audientiae beneficium impetraverat in iis quae respiciebant jurisdictionem independentem a delegata circa curam animarum, die 15. Jan. 1695 discussa fuerint alia, quae sequuntur, dubia videlicet:

I. An Episcopus Gardien. possit inquirere contra parochum Ecclesiae oppidi Aquaevivae non tantum in concernentibus curam animarum et sacramentorum administrationem sed etiam aliis causis civilibus et mixtis? Et quatenus affirmative,

II. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impediennes tam commendatarium quam ministros?

III. An Episcopus tam in actu visitationis quam extra procedere possit contra laicos, commendatarium et ministros dicti oppidi pro delictis ad curam ecclesiasticam spectantibus, v. g. usuris, concubinatibus, percussione clericorum, inobservantia dierum fes-

torum, usurpatione jurisdictionis episcopalis etc. et in tali casu censuris eccles. uti?

IV. An tueri immunitatem ecclesiasticam in dicto oppido spectet ad Episcopum etiam adversus commendatarium et ministros, ita ut valeat eos declarare excommunicatos?

V. An sit manutenendus in possessione decernendi monitoria pro deperditis in dicto oppido?

V. An ad ipsum spectet praestare consensum alienationi bonorum dictae ecclesiae vel alterius loci pii juxta terminos cap.: *Terrulas* 12. q. 2.

VII. An possit destinare concionatorem in d. oppido et cogere communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum dioecesis?

VIII. An praestare licentiam concionandi in eodem oppido?

IX. An dare licentiam parochi abessendi?

X. An dictus parochus et caeteri presbyteri inservientes ecclesiae teneantur accedere ad Synodum dioecesis Episcopi?

XI. An literae remissoriales et compulsoriales favore commendatarii sint concedendae?

Rescriptum fuit

ad I: In Decisis.

ad II: Affirmative.

ad III: Affirm. exceptis commendatario et aliis ministris habentibus tria requisita.

ad IV et V: Affirmat.

ad VI: Affirm. praeterquam quoad bona religionis.

ad VII: Affirm. et quoad coactionem ad solvendum servetur solitum.

ad X: In Decisis quoad parochos et beneficiatos, quo vero ad alios dilata et ad mentem.

ad XI: Negative quoad remissoriales et affirm. quoad compulsoriales.

Praeterea cum disceptatum fuerit: An oeconomus ecclesiae parochialis s. Mariae Esther commendae s. Joannis Hierosol. oppido Aquaevivae Collis de cruce liceat conjungere in matrimonium parochianos dictae ecclesiae absque probatione status liberi faciendae coram Episcopo Guardiensi et sine illius licentia?

S. C. resp.: Negative.

Die 21. Apr. 1710.

Postremo discussis quatuor hisce dubiis:

1) An Episcopus Guardiensi possit exigere subsidium caritativum ab ecclesia s. Joannis Aquaevivae?

2) An Episcopus possit exigere cathedraicum seu synodaticum a dicta ecclesia ejusque parochi?

3) An Episcopus in actu visitationis faciendae in dicta ecclesia possit exigere procuracionem?

4) An Episcopus in eadem visitatione possit recognoscere libros administrationis bonorum ejusdem ecclesiae ejusque rationem petere?

S. C. resp. ad 1, 2 et 3: Negative.

ad 4: Affirmative jure delegato.

Die 14. Nov. 1733.

Verum quia tam adversus postremam hanc resolutionem hodiernus Episcopus, quam contra praecedentes sibi contrarias Eques Ant. Cedronius dictae commendae possessor novae audientiae beneficium impetrarunt, idcirco ad extinguendas contentiones, quae inter eundem Episcopum et commendatarium dicti oppidi Aquaevivae in dies oriebantur, proposito sequenti dubio:

An, quae et super quibus Episcopo Guardiensi competat jurisdictio in commenda, seu oppido Vallisviva,

Collis crucis et paroch. ecclesiae s. Mariae Esther, ita ut sit standum vel recedendum a decisis sub die 5. Sept. 1693, 15. Jan. 1695, 21. Apr. 1710 et 14. Nov. 1733?

S. C. resp.: Praevio recessu a decisis de die 14. Nov. 1733. In reliquis in decisis.

Die 14. Mai 1736.

Unde recessit eadem S. C. a Decisis in Guardiensi.

Die 4. Nov. 1735.

17) Confessionalium.

In Visit. confess. peragenda est inquirendum de:

- 1) Sede in publico.
- 2) Laminis foratis.
- 3) Velo spisso.
- 4) Imagine pia.
- 5) Bulla Coenae.

6) Casibus Episcopo reservatis ibidem affixis.

7) An claudi queat ipsa sedes, ne laici sedeant?

Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

Vd.: *Visitatio de Poenitent.*

18) De Confirmatione.

In Visit. de conf. peragenda est inquirendum:

1. An in Officio Patrini admittantur non confirmati vel ignorantes rudimenta fidei, an Regulares, an in ordinibus s. constituti?

2. Ad admittantur ad recipiendum hoc sacramentum minores septennio, qui non fuerint instructi ac adulti non confessi?

3. An, qui fuerunt Patrini in Baptismo, admittantur et fiant patrini ejusdem pueri in Sacramento Confirmationis?

4. An pueri vel puellae ducantur ad recipiendum hoc Sacramentum extra Dioecesim?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

19) Confraternit.

Vd.: *Visit. Hospital.; eccles. Confrat.*

In Visit. Confr. peragenda est inquirendum:

- 1) Inspiciantur libri rationum.
- 2) Expensis.
- 3) Locationibus.
- 4) Contractibus.
- 5) Commessionibus.
- 6) An Officiales sint debitores?
- 7) Qui alii debeant?
- 8) Legatis nondum solutis.
- 9) Superfluis sumptibus.
- 10) Juramento Officialium.
- 11) Salario ministrorum.
- 12) Quaestoribus.
- 13) An cum campanula seu tabella?
- 14) An artificio precum indecoro?
- 15) Conventione cum quaestuariis.

Eadem observantur in Montibus pietatis, praesertim ut usurae suspicio arceatur.

Gavant. Merat. tom. V. pag. 69. (Ed. Venet. 1823.)

Vd.: *Visit.* (capellar.; eccles. regul.)

In Visit. Confrat. est inquirendum:

1) An sint legitimae erectae auctoritate apost. vel ordinaria et habeant statuta approbata?

2) An bona et eleemosynae fideliter administrentur et officiales a plena confratrum congregatione singulo anno eligantur per vota secreta, computa revideantur et solidentur?

3) An habeant inventarium omnium et singulorum bonorum, capellanum et depositarium ab Episcopo approbatus?